

**M.A. MVRETI  
TRAGOEDIA  
JVLIVS CAESAR.  
Actus Primus**

**Caesar.**

IAM tota penè terra Romanos timet,  
Et quâ resurgens aureis Phoebus comis  
Indos propinqua subditos tingit face,  
Et quâ cadentes pronus inflectens equos,  
(5) Gratae sorori cedit alternas vices,  
Patruique lasso stagna crispat lumine.  
Quacunque Nereus margines terrae premit,  
Reges vel ipsi Caesaris nomen timent.  
Numerent triumphos, cum volent alii, suos,  
(10) Seque à subactis nominent prouincijs:  
Plus est vocari Caesarem: quisquis nouos  
Aliunde titulos quaerit, is iam detrahit.  
Numerare ductu vis meo victas plagas?  
Percurrito omnes. Ipsa victrix gentium  
(15) Mihi Roma cessit: Ille tam magnus gener,  
Vt penè nomen duceret jam impar sibi,  
Terra marique fusus agnouit meas  
Praestare vires: quemque noluerat parem,  
Tulit priorem: Thessali caede hostium  
(20) Maduère campi: principum membris canes,  
Auesque pastae; ductor ipse exterritus,  
Fugare suetus, fugit, & notos petens,  
„Sensit manere raram in aerumnis fidem.  
Quid ergo restat, quidue dignum Caesare  
(25) Subacta tellus exhibere ultra potest?  
Caelum petendum est: terra jam vilet mihi.  
Supreme Rector, qui verendo fulmine,  
Iratus, orbis vtrunque perterres polum,  
Si verus esse sanguis Ascanii putor,  
(30) Generisque nostri tu ipse princeps auctor es,  
Regni me in aliquam recipito partem tui,  
Auos vt inter splendidum sidus meos,  
Matris Diones proximam aspiciam facem.  
Iam vel mihi, vel patriae vixi satis:  
(35) Quid teneor\* vltra? jam mihi exactum est, geri  
Sago togaque quidquid eximum potest.  
Hostes perempti, ciuibus leges datae,  
Digestus annus, redditus sacris nitor,  
Compostus orbis: Cogitari nec queunt  
(40) Maiora cuiquam, nec minora à me geri.  
„Viuam ociosus? at id quidem vix viuere est,  
„Nec sol quietem, nec bonus princeps capit.  
„Cum vita partes muneric functa est sui,  
„Mors propera nunquam, sera nonnunquam venit.

(45) Mihi multa vates dira minitantur quidem,  
Suadentque, amicis vt meum stipem latus:  
,,At enim timere Caesaris nunquam fuit,  
,,Ignava mens rebusque non exercita  
,,Vereatur atrae mortis incertum diem:  
(50) „Generosus animus, quiqe se nullo videt  
„Scelere impiatum, semper est liber metu.

---

### **Calpurnia.**

Eheu, quis aures nuncius tetigit meas,  
Cecidisse dira Caesarem Bruti manu?  
(480) O somniorum jam nimis veram fidem!  
Sic misera quondam Troici conjux senis,  
Quam somniarat, tulit, & experta est facem.  
O, quae dolori verba sufficient meo?  
Dehisce terra, meque miserandam abripe,  
(485) Aut vos nefandi parricidae, huc, huc cito  
Venite gressu, quoque ferro conjugem  
Meum necastis, me, me eodem tollite.  
Secunda vestras hostia exspecto manus.  
Cupide madentem conjugali sanguine  
(490) Jugulo mucronem, aut pectore excipiam meo.  
Nondum litasti, Brute, perficito sacrum.  
Nondum peremptus Caesar est: pars illius  
Maneo superstes. Non meus vitam tibi  
Vir denegarat: ne mihi mortem nega.  
(495) Moriar semel, quo desinam toties mori.  
Aut tu, doloris turba nostri particeps,  
Dum languidus paullatim animus absumitur,  
Et membra linquens tabida, petit Caesarem,  
Adjunge moestam fletibus vocem meis.

---

### **Caesar.**

Quid caelitum me fletis adjunctum choro?  
Non luridi me stagna Cocytii tenent,  
Sed tempa caeli; non malignae me furor  
(535) Tetigit cohortis; ipsa jam genitrix manu  
Me collocarat inter astrorum globos.  
Simulacra tantum nuda dilaniata sunt:  
Nec ipse cecidi: umbra cecidit tantum mea.  
Desinite flere: lacrymae miseros decent.  
(540) Qui me furenti, (vera praemoneo Indiges,)  
Sunt animo adorti, non inultum illud ferent.  
Heres meae virtutis, vt sceptri mei,  
Nepos sororis, arbitratu pro suo  
Poenas reposcet. Ponite modum luctibus.  
(545) Ego ad alta caeli tecta stellantis feror.